cui abbas pafnucius dixit. Non propter tuam penitentiam remi-
sit tibi dominus peccata tua, sed quod hunc timorem semper reti-
nebas in corde. Ipse vero in magna sua misericordiam indulsit
tibi deus peccata tua. et cum eam induxisset xv. di-
es tantum supervixit et pausavit in domino ihesu christo.

De arsenio

Sedente arsenio in egipto
po venit una virgo de roma dives valde
et timens deum ut videret arsenium et suscepit
eam theophilus archiepiscopus in domum suam. Illa autem
rogabat eum ut ageret cum arsenio ut videret
eum. Qui abiens rogabat eum dicens. Aliqua matrona
venit de roma ut te velit videre. Senex vero non
acquievit ut veniret ad eum. Cum ergo renunciata fu-
isset hec matrone, iussit sterni ~~aia~~ sua dicens [animalia]
Credo in domino quod videbo illum. Sunt enim et in urbe nostra
multi boni homines, sed ego veni prophetam videre. Et cum
venisset ad cellam eiusdem senis, iuxta dispositio-
nem dei invenit eum contigit extra cellam et videns ~~eu~~ eum
supradicta matrona proiecit se ad pedes eius. Ille
autem levavit eam cum indignatione magna et intuens e-
am dixit. Si faciem meam videre vis ecce vide. Illa autem
pre nimia verecundia non consideravit faciem eius. Et dixit ei senex
Non audisti opera mea. me autem vide quod necesse est.
Quomodo autem ausa es tantam presumpsisti venire ad me nescis quod
mulier es et non debes exire aut vadis romam et dicis ali-
is mulieribus quod vidi arsenium et fiat mare via mu-
lierum venientium ad me. Illa vero territa dixit. Si redie-
ro domum et si deus permiserit me iterum non permitto
aliquam venire huc ad te. Sed ora pro me pater et memor
esto mei semper. Ille autem respondit. Oro deum ut deleat

[Non valde notabile]